



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. II. De immensitate & existentia Dei in rebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

CAPVT II.

De immensitate Dei, eiusque existentia in omnibus rebus seu locis.

Ex dictis in libr. 1. quia ens a se per essentiam tantum potest esse vnum. Prima vero consequentia evidens est, quia si natura est facta, est dependens, & ex nihilo: non est ergo summe perfecta, ergo inferior. Alia vero consequentia ex declaratione data de infinitate per se euidens sunt. Et hoc sensu docent Theologi communiter, Deum non posse facere infinitum per essentiam simpliciter, patet ex D. Thom. 1. p. q. 7. ar. 2. & ex alijs Theologis in 1. dist. 42. & 43. Vbi solent etiam disputare, an possit Deus facere infinitum in magnitudine, & multitudine. Sed hæc quæstio ad Dei infinitatem explicandam non pertinet. Nam si Deus non potest facere tale infinitum non est ex defectu potentia, vnde non minuitur inde perfectio eius, & potius ostenditur excellentia, & singularitas infinitatis eius. Si vero potest illud facere, non est illa infinitas comparabilis cum infinitate Dei, & ita non tollit singularitatem, seu proprietatem eius. Et ideo ad præsens attributum explicandum illa quæstio necessaria non est, & alioqui est philosophica, & à nobis est in libris Physicorum diligenter disputata, & est admodum vtilis, & ideo eam hoc loco prætermittere decreui.

Contra veritatem demonstratam solet obijci, quia si Deus esset infinitum ens, non admitteret secum alia entia, sicut si esset infinitum corpus quantum, non admitteret secum alia corpora, quia ipsum occuparet omnia loca. Maxime verò, quia si Deus esset infinitus in perfectione, deberet excludere omnem imperfectionem, & consequenter omne malum. Sed hæc facilia sunt, quia infinitas Dei non tollit singularitatem, & unitatem essentia; Dei, neque enim est infinitas multitudinis, sed intensiua entis. & ideo non tollit, quin possint esse alia entia, à quibus distinguatur Deus, hoc ipso, quod ipse Deus est infinitus: alia vero finitaille est à se, alia ab ipso. Nec est simile de corpore quanto, nam illi naturale est excludere aliud quantum ab eodem loco, vnum autem ens maxime per se subsistens non excludit alia entia à rerum vniuersitate, seu ab existendo, vt sic dicam. Quia entia non habent formalem repugnantiam in existendo simul in rerum natura, sicut habent duo quanta ad simul existendum in eodem spatio, vel duæ qualitates contrariæ ad simul existendum eodem subiecto. Vnde vltius dicitur, si illa repugnantia quantitatum impediatur, non repugnare ex eo capite quod cum corpore vno infinitæ magnitudinis sint alia corpora quanta, quia possent esse penetratiue cum illo in eodem spatio. Ad aliam vero partem dicitur, recte concludere, ab illo ente, quod infinitum est, necessario excludi omnem imperfectionem, & omne malum, nihil enim horum potest esse in Deo ex vi suæ infinitæ perfectionis. Quia sicut illa perfectio intelligitur quasi formaliter afficere ipsum Deum, ita intelligitur ab illo formaliter excludere omnem perfectionem. At non sequitur, illud ens infinitum excludere ab omni alio ente omnem imperfectionem, vel malitiam, quia nec excludere potest formaliter, nam illa infinita perfectio non perficit formaliter alia entia, nec necesse est, vt excludat effectiue, quia vel alia entia non sunt capacia, vt est euidens de imperfectionibus negatiuis, & naturalibus, vt sunt esse composita, esse limitata, esse mutabilia, vel annihilabilia, vel corruptibilia respectiue, & huiusmodi. Vel si capacia sint, Deus non est agens naturale, vt necessario omne malum excludat, sed pro ratione sapientiæ suæ illud liberè permittere potest, de quo alias.

D Thom.

S. Obijci.

Respondetur.

Deum esse immensum sub his expressis, ac formalibus verbis Catholica fides docet, in cap. Firmi-bolo Athanasi. Immensus Pater, & c. Quia in scriptura sacra eodem modo continetur, Baruc. 3. Immensus est, & non habet finem. Psalm. 138. Si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Et tamen additur 2. Paralip. 16. Cælum, & Cæli Cælorum non te capiunt. Eandem veritatem docent sancti Patres, nam licet non omnes vtantur illa voce immensitatis, rem ipsam declarant per hoc, quod Deus totus vbique est, & ita est in vniuersis rebus, vt ab eis nec circumscribatur, nec contineatur, vt patet ex Damasceno libro primo, capite octauo, vbi etiam vocat Deum immensa vniuersum, & Basilium homilia in principium Euuangelij Ioannis, & Eucherius libro de spiritualibus formis, capite primo. Deus inquit vbique totus, & immensus, & alij statim referendi. Sunt autem aliqui Theologi, qui hoc attributum confundant cum præcedenti, quod significat Bonauentura, i. distinctione 43. articulo primo, quæstione secunda, & Albertus, ibi, articulo secundo. Sed reuera sunt attributa ratione distincta, nam licet ex infinitate recte inferatur immensitas, tamen immensitas non dicit eandem negationem, quam infinitas. Nam infinitas negat terminum in perfectione essentiali, vt supra explicauimus, immensitas vero negat terminum in substantiali præsentialitate, vt sic dicam, seu negat terminum loci, vt more nostro loquamur. Deinde per negationem infinitatis declarat vniuersæ excellentia perfectionis essentialis Dei, per immensitatem vero declaratur talis modus existendi diuinæ essentia, & naturæ, vt quantum est ex se, & eodem modo permanens, possit esse intime præsens omnibus rebus, & corporibus, non solum præsentibus, sed etiam possibili-bus, etiam si in infinitum in multitudine, & magnitudine augeantur. Quo sensu recte potest intelligi illud Psalmi 144. Et magnitudinis eius non est finis. Nam licet de quantitate perfectionis recte intelligatur, etiam de hac magnitudine immensitatis verissime dicitur, & sub illa hæc continetur.

Deum esse immensum, sicut tenent Athanas. Baruc. 3. Psalm. 138. 2. Paralip. 16.

Damasc. Basilica.

Bonauent. Albertus.

Aliqui confundunt hoc attributum cum præcedenti, contrarium verius est.

Psalm. 144.

Immensitas dicitur perfectionem, per se notum videtur, & inductione declarari potest. Nam in rebus corporeis, perfectio aliqua est, essetq; maior, si possent simul adesse multis locis, sed non sunt capaces tantæ perfectionis. In rebus autem spiritualibus maior perfectio est, posse adesse alicubi sine comensuratione quantitatiua, id est, exhibendo partem sui parti loci, & totâ substantiam toti loco, sed totam substantiam exhibendo præsentem toti spatio, & cuilibet parti eius. Et quo substantia spiritualis perfectior est, eo maiorem quandam sphaeram habere potest in hac præsentialitate, & hoc plane ad perfectionem spectat. Ergo habere ex se infinitam quandam præsentialitatem, maxima perfectio est, ergo hæc debita est diuinæ substantia; infinite, & summe spirituali. Quia talis perfectio de se nullam includit imperfectionem. Vnde vltius, quia omnis perfectio in Deo esse debet per modum actus absque potèntialitate, ideo non solum habet in substantia sua aptitudinem ad hanc præsentiam, sed ex parte sua actû illam habet semper, ac necessario, quia hoc etiam pertinet ad immutabilitatem suam. Dico autem semper ex parte sua, quia præsentia videtur dicere relationem ad aliam rem, cui altera dicitur esse præsens, & talem præsentiam Deus non

Handwritten notes in the right margin, including 'D.V.' and other illegible characters.

non habet necessario ad rem aliam extra se, quia nulla alia res necessario est. Ex parte ergo termini non est necessaria Deo semper talis praesentia, tamen ex parte fundamenti (vt ita rem explicemus) semper, ac necessario est ex parte Dei tale fundamentum, quia hoc pertinet ad excellentiam eius. Atque in hunc modum explicata immensitate, facile est, illam demonstrare, vel à priori ex infinitate Dei, & ex summa eius perfectione, quia haec est perfectio absoluta, & sine imperfectione, vel etiam à posteriori ex effectibus Dei, non tantum quos de facto operatus est, sed quos in infinitum operari potest sine vlla sui mutatione. Quae omnia latius prosecuti sumus disputatione trigesima Metaphysica, sectione septima. Et ideo satis est illa summam hic proponere.

3. Ex hoc attributo vbiq̄itas Dei, seu Deum esse vbiq̄e, & in omnibus rebus. Quod etiam de fide certum est, vt notauit Chrysostomus Concil. 5. in ad Colossenses secundo. *Deus in caelo sursum, & in terra deorsum*, per quae duo extrema comprehenduntur omnia media, sicut Ieremiae vigesimo tertio, *Caelum, & terram ego impleo* Et Esaiæ sexagesimo sexto. *Caelum sedes mea est, & terra scabellum pedum meorum*. Loquitur enim scriptura hominibus more humano, & ita, vt describat Deum replentem omnia, vtitur metaphora illa humanae positionis, ac si haberet pedes in terra, & caput in caelo, & corpore suo caetera replet. Hanc etiam veritatem docere voluit Christus Ioannis quarto, quando Samaritanae interroganti de loco orationis, respondit, *Deum spiritum esse, & in spiritu* inter alia hoc continet, quod non est ad certum locum definita, sed vbiq̄ fieri potest, quia vbiq̄e Deus est. Atque ita intellexerunt haec loca, & veritatem hanc sancti Patres, quorum aliquos in citato loco Metaphysica retuli. Et praeterea Dionysius, capite quinto de diuinis nominibus de Deo inquit. *Quae sunt omnia, & ante habet, & subsistere facit, omnibus, & vbiq̄e praesens*. Athanasius libro. Quod perfectum hominem assumpsit Deus, ad Liberium. *Deus, (inquit) spiritus est loco incomprehensibilis, neque vpiam est regio, vbi non existat. Vnde ratio, contra Idol. post medium ait, notum est omnibus, Deum esse vbiq̄e*. Basilii oratione in principio Euangelij Ioannis. *Totum (ait) quodcumque nouerit, & quocumque spiritu tuo penetraverit, Deo pleni inueni ei*. Idem habet Gregorius Nyssenus Oratione in id. *Faciamus hominem, & caetera*, Chrysostomus homilia decima septima, in Genes. *Non ambulat Deus, absit, quomodo enim ambularet, qui vbiq̄e praesens est, & omnia implet*? Idem Cyrillus libro primo, in Ioannem, capite nono, & libro primo, Theodori, capite septimo, ait Deum replere, & penetrare omnia. Cyprianus de Idol. vanitate post multa concludit. *Ergo Deus vnus est, & vbiq̄e totus diffusus*, Quae verba notanda sunt. Hilarius primo, de Trinitate, *Nullus sine Deo, neque vllus non in Deo locus est*, Item libro secundo, *Deus vbiq̄e est*, Idem Augustinus libro quinto, de Trinitate capite primo. *In illo enim Deum sine situ praesentem*. Et libro septimo de Cnitate capite trigesimo. Et optime Origenes homilia duodecima in Genesim, & libro primo, in Ioannem, Anastasius Synaita libro secundo, de relictis fidei dogmatibus, *Deus, inquit, essentia cum sit, quae sunt omnia diuina sua adimplet essentia, estque in omnibus quae sunt*.

4. Haec autem veritas sequitur euidenter ex attributo immensitatis, aduertendo, per hanc vbiq̄itatem, seu existentiam in rebus non addi Deo aliquam perfectionem, vel modum realem, sed solum concomitantiam quandam alterius rei, vel aliarum rerum existentium, quae eo ipso, quod sunt intra se habent diuinam substantiam praesentem, id

est, omnino indistantem ab ipsis: hoc enim significamus, cum dicimus DEVM esse in ipsis. Ad quod magis explicandum distinguunt Theologi tres modos existendi DEI in rebus, per praesentiam, per potentiam, & per essentiam, in sinuatos à Gregorio homilia octaua, in tzechielem, & declaratos optime à Diuo Thoma quaestione octaua, articulo tertio. Magistrorum expositoribus in primo, distinctione trigesima septima. Quibus locis inter Scholasticos longa disputatio fit de significatione illorum verborum. Sed in re clara, & in qua solum esse potest quaestio de significatione vocis non oportet contendere, sed meliorem, magisque vscitatam eligere significationem. Igitur praesentia in communi vsu dicitur de obiecto praesenti: tamen inde etiam persona, quae alteram rem intuetur, dicitur illi esse praesens, atque hoc modo dicitur esse DEVS per praesentiam in omnibus rebus, inspicendo, & intueno omnia clarissime. Iuxta illud ad Hebraeos quarto. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius*. Ieremiae vigesimo tertio. *Si oculabitur vir in absconditis, & ego non video eum?* Haec vero praesentia non ad praesens attributum, sed ad scientiam Dei spectat, intelligereturque esse in Deo, etiam si in caelo tantum esset, atque inde omnia videret, proprieque dicitur ratione scientiae visionis, quae ad res vt existentes terminatur, & ideo non sequitur, vt Durandus obijcit, DEVM esse in rebus, quae tantum possibiles sunt. Secundo modo dicitur DEVS esse in rebus per potentiam, quatenus virtute sua & actione omnia continet, & conseruat, & cum omnibus actu operatur. Iuxta illud ad Hebraeos primo. *Potansque omnia verbo virtutis suae*. Et Actuum decimo septimo. *In ipso enim viuimus mouemur, & sumus*. Et hic etiam modus directus, & per se non spectat ad praesens attributum, sed ad Dei omnipotentiam, prouidentiam, gubernationem, ac creationem. Dico autem directe, & per se, nam consequenter, vel per illationem peruenire fortasse potest, vt statim dicam. Tertio ergo modo dicitur DEVS esse in rebus creatis per essentiam, id est, per indistantiam essentiae suae ab omnibus rebus creatis, quae vocatur praesentia substantialis in omnibus illis, & de hac est proprie in praesenti sermo. Et hanc dico euidenter inferri ex immensitate, quia Deus per immensitatem suam intelligitur esse ita dispositus, & quasi diffusus (nostro more loquendi) ad existendum per essentiam, seu substantialem praesentiam in quacumque re, vt nihil ex parte illius ad illam desit, ac proinde eo ipso, quod aliquid aliud creatur, seu est, necessario est realis indistans à substantia DEI, & substantia DEI ab ipso: hoc autem est esse DEVM in tali re per essentiam. Vnde si per impossibile posset aliqua re existeret sine efficientia DEI, nihilominus DEVS esset in illa per essentiam suam eo ipso, quod alia res esset, quia non posset talis entitas non habere intra se intimentitatem Dei. Et ita clarescit distinctio inter hunc modum praesentiae per essentiam ab alijs duobus. Primum ex his modis significauit supra Gregorius cum dixit. *Deus vbiq̄e praesens est*. Secundum dicens. *Omnia tangit, & viuificat*. Tertium cum ait. *In circumscriptus est, & vbiq̄e totus*. Quae multis alijs verbis declarat. Sunt autem alij duo singulares modi, quibus DEVS dicitur esse vel in sanctis per gratiam sanctificantem, vel in Christi humanitate per gratiam vnionis suae, qui non pertinent ad praesens attributum, & hic vltimus longum requirit tractatum, de quo in primo tomo, tertia parte dictum est. De altero non nihil dicemus infra libro duodecimo, de Trinitate, explicando inuisibilem Spiritus sancti missionem.

Hebr. 4.
Ierem. 23.

Hebr. 1.
Act. 17.

Ex

5.
Propria
conuenit
Deo esse
vbi que ex
necessitate

Ex dictis intelligere licet hoc prædicatum *essendi* in rebus seu vbi que proprie, & actualiter non conuenire Deo ex necessitate, sed dependenter à libertate sua. In quo multum differt ab attributo immensitatis. Nam hoc conuenit Deo omnino necessario, immutabiliter, & ab æterno: nam semper Deus ram immensus fuit, sicut nunc est, & licet nihil extra se produceret, immensus semper esset, quia illa perfectio, & intrinsecus modus essendi diuinæ substantiæ, quam immensitas supponit, & in qua negat terminum, absoluta perfectio Dei est: nullo modo pendens ex creatura: At vero esse in rebus actualiter, & similiter esse vbi que connotat aliquam rem extra Deum actualiter existentem, in qua Deus dicitur existere. Hoc autem simpliciter necessarium non est, sed liberum Deo vt supponimus, & ideo prædicatum illud non est ex attributis, quæ Deo necessario conueniunt, necessitate absoluta, sed tantum conditionata, quia si alia res sit, necesse est, vt Deus sit in illa ratione suæ immensitatis. Et ideo tale prædicatum ex tempore incepit conuenire Deo, quia (vt supponimus) nihil extra ipsum ab æterno realiter existit. Neque hinc sequitur mutatio aliqua, vel additio, quæ in Deo fiat, sed tantum in creatura, quia Deum esse in creatura vltra immensitatem eius nihil intrinsecum in eo ponit, sed solum denominationem extrinsecam, ortam ex coexistentia creaturarum cum ipso, seu ex relatione creaturarum ad ipsum, cui ex parte Dei nulla relatio realis ad creaturam correspondet, quia Deus non est capax talium relationum, vt nunc etiam supponimus, & in cap. seq. & in vltimo huius libri aliquid de hoc dicemus, nam generale est ad omnia, quæ ex tempore de Deo dicuntur.

6.
Essentia
Dicitur
ex actione ad
extra pendere

Hinc etiam intelligitur hanc existentiam Dei in creaturis, licet fundamentaliter supponat immensitatem, tamen vt actualiter sit, pendere ex actione Dei ad extra, quam necessario supponit. Hoc patet primo, quia hoc prædicatum essendi in rebus & liberum, & temporale est, ergo est tale ab actione Dei libera, & temporali, ergo ab actione Dei transiente, seu vt habente actu terminum ad extra, quæ non est, nisi actio ad extra. Patet vtraque consequentia, quia nihil habet esse liberum, nisi vel quatenus actio libera est, vel quatenus ab actione libera pendet, & in ea aliquo modo fundatur. Actio autem libera, & temporalis non est in Deo nisi actio ad extra, nam actus, immanentes vt sic, etiam si liberi sint, ab æterno sunt, etiam secundum suam terminationem liberam, ergo cum hoc prædicatum non solum sit suo modo liberum, sed etiam temporale, omnino pendet ex actione Dei ad extra. Vnde licet supra dixerimus, si res aliqua extra Deum habere possit existentiam sine actione Dei, necessario futurum fuisse Deum in illa per essentiam ex vi immensitatis, hoc solum verum est ex hypothesi: tamen quia illa hypothesis est impossibilis simpliciter, quia nulla res extra Deum potest habere existentiam sine effectione Dei, ideo absolute supponenda est illa actio, vt Deus sit in rebus.

7.
Dicitur

Hic vero statim suboritur quæstio, an ex actione Dei in rebus colligatur bene existentia Dei in illis, vel potius ex præsentia colligenda sit actio. Sed hanc quæstionem late tractaui in citato loco Metaphysicæ, & ideo illam omitto, licet soleat disputari inter Diuum Thomam, & Scotum in 1. parte quæstione octaua. Nam Diuus Thomas illa ratione vitur, quæ non placet Scoto. Est autem ratio satis philosophica, & consentanea scripturis, vt tibi dictum est. Siue illatio nitatur in hoc, quod nulla causa agit in distans, siue (quod facilius est) in hoc, quod causa perfectissimum agens modo, perfecte etiam ad est suo effectui illumque secum coniunctum habet, vt illi perfecte dominetur. Potest autem hoc modo ex actione Dei inferri à posteriori immensitas ipsius, Suarez: de Deo trinuno.

quia sicut agit in hoc vniuersum, quod creauit, posset agere in aliud duplo maius, & sic in infinitum, & in plures alios mundos sine termino, & sine sui mutatione. Actualis vero præsentia substantialis ad omnes res existentes colligitur à priori ex immensitate, necessarium vero est adiungere actionem, vt per eam possint creaturæ habere existentiam, & ita compleantur, quæ conditiones necessariae ad illam denominationem, quæ sunt tanquam fundamentum, & terminus, vnde confurgit relatio, & denominatio. Nam fundamentum ponitur ex vi immensitatis: terminus ponitur per actionem Dei. Ex sola vero actione à posteriori inferitur, supponi in Deo, quicquid necessarium est ad illam præsentiam: quandoquidem posito termino illius denominationis per actionem, non potest deesse denominatio, seu præsentia. Et ita est facilis ratio, non est tamen euidentior, quam sit illud principium, in quo fundatur. Reliqua in citato loco videri possunt.

Vltimo addendum est, & sequitur etiam ex dictis, Deum ita esse nunc vbi que, id est, in omnibus rebus existentibus, vt non deliniatur, nec circumscribatur illis. Hoc etiam est certissimum, & absolute loquendo videtur de fide: nam hac ratione dicitur in Scriptura Deus non capi locis creatis, nec solis illis contineri. 3. Regum octauo, Si Cælum & Cælorum te capere non possunt. Et Iob. vndecimo, ea Iob. 11. ratione dicitur Deus Excelsior cælo, profundior inferno, & longior terra. Et Ecclesia dicit Beatissimæ Virginis Dei genitricis, Quem cæli capere non poterant & cætera. Ita etiam frequenter loquuntur sancti, & hoc sensu, negant posse Deum circumscribi, loquuntur enim non solum de propria circumscriptione corporali, & cum extensione quantitatis, nam eo ipso, quod Deus corporeus non est, constat non esse capacem talis circumscriptionis, sed nomine circumscriptionis intelligunt quamcumque inclusionem, & definitionem, ad finitum spacium, seu locum, extra quem res non sit. Quomodo etiam Angeli dicuntur circumscribi, vel (ad tollendam æquiocationem) definiri loco. Sic dixit Basilius homil. in principium Euangelij Ioannis. Deum non contineri loco, nec in circumscriptione aliquo, aut in circumscriptione certa deprehendi. Et subdit rationem. Quia infinitus est. Sic dixit Chrysostronus homilia. 4. in Ioan. licet Deus innumeros mundos crearet sine sui mutatione sufficientem esse ad gubernandos omnes, eodem vtique modo, & cum eadem præsentia, cum qua in hoc existit. Sic etiam dixit Athenagoras in legatione pro Christianis. Deus ita mundum excedit, vt impleat vnde quaque quicquid supra ipsum est, nec locum vllum se vacuum relinquat. Sic etiam dixit Theod. ferm. 2. de Prouidentia, Omnia item complectitur ipse à nullo circumscriptionis. Et Prudent. in Hymno de S. Romano, de Deo eleganter dixit, Deus perennis, res inestimabilis, extraque, & intus replet, ac superfluit. Augustinus etiam late hoc docet 11. de Ciuit. significat etiam Boetius lib. 1. de Trinitate: in hoc enim sensu ait, Omnem locum adesse Deo, cum nullus locus sufficiens sit ad ipsum capiendum. Et Gregor. 2. Moral. capite 7. Deum (ait) ita manere intra omnia, vt sit extra omnia & c. Denique ex diuina immensitate hoc euidenter sequitur. Quia Deus non ita clauditur in hoc vniuerso, quin de se sit sufficiens ad existendum in alio duplo, & triplo maioris magnitudinis sine vilo termino. Hic vero occurrebat statim quæstio, an dicendus sit Deus esse extra hoc vniuersum, vel in spacij imaginarijs, sed eam late tractaui in dicto loco Metaphysicæ. neq; nunc notui aliquid occurrir addendum.

8.
Ita Deum
esse in rebus,
vt non
finiatur ab
illis.

Basili.

Chrysostr.

Athana.

Theod.

Prudent.

August.

Boetius.

Gregor.

Obiectioni
occurritur.

Contra veritatem catholicam nihil occurrit obiciendum, quod difficultatem magnam habeat. Nam illud, quod mens nostra non satis concipit, quomodo possit vna indiuisibilis, & simplicissima res esse tota in tam magna mole, vel infinito spacio, &

D tota

STARE
in
COM
Digne
conuicti
Theod.

D.V.

tota in singulis partibus, & punctis eius. Hoc, inquam, suo modo commune est omnibus rebus spiritualibus, & animæ nostræ, & licet non satis intelligatur, quia non concipimus spiritualia, prout in se sunt, ex effectibus ipsis necessarium esse cognoscitur, & non inuenitur in illa proprietate repugnancia. Multo ergo maiori ratione intelligimus illam proprietatem continere diuinæ substantiæ modo altiori, & proportionato illi, ac proinde finelimitatione, quod per immanentiam intelligimus. Vnde quod aliunde obiici potest, quia videtur ille modus diffusionis, & quasi extensionis repugnare diuinæ substantiæ, propter simplicitatem eius, tam in entitate sua, quam in omni modo illius, quia modus ille præsentia videtur habere aliquem modum extensionis, etiam in spiritualibus rebus. Hoc, inquam, in dicta sectione 7. in fine eius expeditum est, dicendo, hanc substantialem præsentiam Dei omnino indiuisibilem esse, non solum in se, sed etiam prout correspondet partibus spacij vel rei, in qua esse intelligitur, & in hoc superare omnem præsentiam spiritualis creaturæ cum quadam excellentia incommunicabili omni creaturæ, vt nos credimus. Denique quod aliqui admirantur, quomodo possit sine indecentia intelligi substantia Dei realiter præsens locis immundissimis. Hoc sane valde popolare est, cum enim nullum commercium in hoc sit inter corpus & spiritum, & Deus ipse per se faciat, vel conferuet, quicquid entitatis est in huiusmodi rebus, in eis est & decentissimo, & dignissimo modo, sine vmbra imperfectionis. De qua re legi potest Augustinus libro de Nat. boni capite trigesimo nono & libro de Aagon. Christ. capite 18. & Hugo Vict. libro 1. de Sacramen. part. 3. capite 17. Magist. cum Doctoribus in 1. dist. 17.

August. Hugo.

Magist.

16. Obiectio.

Psal. 138.

Ierem. 22.

Sap. 1.

Iob. 11.

Act. 17.

Psal. 113.

Chrysof. Athanas. Damasc. August. Bernard. Anselm.

11. Resolucio.

Tandem contra probationes ex scriptura obiici potest, quia in eis videtur esse sermo de existentia Dei in rebus per præsentiam cognitionis, & hoc modo dicitur esse vbiq; nec est locus vbi alius modus expresse asseratur. Nam in Psalm. 138. Prius dicitur. *Eccc Domine tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua &c. & Consortata est scientia tua ex me.* Et postea subiungitur. *Quo ibo à spiritu tuo &c.* Et tandem concluditur, *Si descendero in infernum, ades.* Quod optime intelligitur per præsentiam, & intuitionem, ac scientiam, hoc enim erat assumptum, quod proposuerat. Item Ierem. 22. prius dicitur, *Si occulsi abiret vir in abscondito, & ego non video eum.* dicit Dominus & statim subiungitur *Nunquid non caelum, & terram ego impleo?* dicit Dominus. Et similiter Sapient. 1. dicitur. *Renum illius testis est Deus, & corda illius scrutator est verus, & tunc subditur, Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum, &c.* intelligit ergo per præsentiam replere: sic etiam Iob. 11. Postquam altitudinem, profunditatem, & longitudinem Dei descriperat, subiungit. *Ipse enim nouit hominum vanitatem, & videns iniquis aem nomne considerat?* Ac denique Act. 17. dicitur, eum non longe esse ab vnoquoque nostrum, ratione prouidentia suæ, quod ad præsentiam etiam cognitionis pertinet. Aliunde vero in alijs locis dicitur Deus specialiter esse in caelo vt Psalm. 113. *Caelum caeli Domino, terram autem dedit Filij hominum,* cum similibus. Addi etiam hic possunt Patres, qui interdum dicunt, Deum nusquam esse, vt patet ex Chrysof. Athanas. & Damasc. vbi supra, & August. lib. de essentia Diuinit. in principio, & lib. 83. q. 20. Bern. lib. 5. de Confid. Ansel. in Monol. ca. 22. & 23.

potest Deus de se dicere, *Caelum, & terram ego impleo* & similia, quia verbum *replendi* non significat cognitionem, nisi à propria significatione multum extrahatur: quod fieri non potest. Præsertim quia in ipsismet Scripturæ locis distinguitur *replere, à cognoscere,* seu *videre,* vt ex vno aliud probetur, seu inferatur. Vnde videtur Spiritus sanctus sermonem, seu rationem hominibus accommodasse, & quia nos solemus ea videre, à quibus non distamur secundum realem præsentiam, seu propinquitatem, ideo ad declarandum, quomodo Deus inueatur omnia, etiam si in abditissimis locis fieri videantur, id declarat, & probat, quia Deus secundum substantiam suam omnia replet, & vbiq; est. Et ita intelliguntur optime omnia loca. Quod autem interdum dicitur Deus esse in caelo, nihil obstat, quia illud per quadam excellentiam, & singularem rationem dictum intelligitur. Vel quia ibi excellentiora opera facit, & seipsum sanctis manifestat, vel quia ibi specialiter regnat, colitur, & adoratur, propter quod dicitur caelum specialiter esse sedes, & thronus Dei. Ne autem putetur non esse in terra, hæc dicitur scabellum pedum eius. Matt. 5. & alijs locis supra citatis, in quibus Patres ita exponunt. Vbi autem Patres dicunt, Deum nullibi esse, intelligunt, nullibi esse, vt in loco ad a quo, quo circumscribatur, vel definiatur. Vel etiam docent, Deum non ita esse in rebus, vt eas requirat ad suum naturalem existendi modum, nec aliquid, vel aliquem modum intrinsecum ab eis accipiat, sed potius res ipsas foueat, & conferuet, qua ratione interdum Deum ipsum vocant locum aliarum rerum, vt est apud Theophilum Antiochenum libro 2. ad Autholy cum in tomo 3. Bibliothec. Et videri possunt de hoc puncto dicta in illa sect. 7. Metaph. dub. vlt.

Matth. 5.

Theoph.

12. Quæstio Thom.

Damasc. Ambros.

Inquiri vltimo in hac materia Diuus Thomas 1. p. qu. 8. art. vltimo, an sit Dei proprium esse vbiq; & responder affirmando, quod aliqui interpretantur esse verum, rebus vt nunc existentibus, quia si tantum esset vnum corpus, illud vere diceretur esse vbiq; id est, in omni loco reali, quia non esset alius locus realis, nisi quem ille occuparet. Dico vero, esse vbiq; esse aliquo modo Dei proprium, & incommunicabile, etiam de potentia Dei absoluta. Quatenus Deo repugnat, vt sit aliquid in rerum natura, in quo ipse non sit, quod non repugnat, nec repugnare potest vlti creaturæ, quia illud proxime nascitur ex immanentia, & ita loquitur clare Diuus Thomas, & Patres supra citati, & Damascenus libro 1. c. 26. & 17. & Ambrosius libro 1. de Spiritu sancto, capite 7. An vero sit aliqua creatura possibilibus, qua actu sit præfens in toto hoc mundo corporeo, illud probabiliter disputari potest, vt laus dicitur in materia de Angelis. Nam de corpore ego puto probabilius dici non posse, esse vbiq; saltem modo quantitatio, quia eo ipso, quod non est totum, vbi est vna pars, non est vbiq;. De creatura vero spirituali secundum suum naturalem modum existendi, vel de corporea existenti in loco per modum substantiæ, vt est corpus Christi Domini in sacrosancta Eucharistia alia ratio est. De qua realiqua dixi in 1. tomo 3. parte disput. 37. sect. 4.

CAPT III.

De immutabilitate Dei.

Vbi attributo generali immutabilitatis, quod omnia in vniuersum generâ mutationum à Deo remouet, comprehenduntur omnes speciales negationes sub illa contentæ, vt esse imparsibilem, inalterabilem, incorruptibilem, ac denique habere totum suum esse inamissibile. Hoc ergo sensu de fide certum est, Deum esse immutabilem, nam per generalia, & specialia verba illa negatio Deo attribuitur in Scriptura Malach. 3. *Ego Dominus, & non*

1. Deum esse immutabilem à filiis assauerantur est.

Malach. 3.

non